

## SECRETARIUS.

1. Nomen *Secretarii* tribuitur variis variarum conditionum personis. Sic prætermillis Secretariis Principum ac Tribunalium dicuntur etiam Secretarii scribæ consiliariorum aut aliorum insignioris conditionis Officialium ; & horum officium est cauilarum in judicio discutiendarum aut discussiarum summarium confidere.

2. Episcopi quoque quosdam suorum Officialium Secretarios vocant, qui vel Clerici sunt vel laici ; hæc ex officio incumbit acta publica jurisdictionem episcopalem concernentia confidere, expedire, & sigillo Episcopi munitis subscribere. De his posterioribus hic solum agetur, ac discutietur, quale salarium ipsis conformiter ad Concilium Tridentinum persolvi debeat, aut vi consuetudinis.

CASUS I. Dominicus Secretarius cuiusdam Episcopi valde magnum exigit pretium ac salarium pro expeditione provisionum Beneficialium, litterarum dimissionalium & aliarum ejusmodi, sicut etiam pro jure sigilli episcopal, quod sibi locatum tenet. Peccatne ? Num peccat Episcopus quoque id scens, injustarumque Secretarii exactiōnū se reum facit ?

3. Ambo coram Deo sunt valde culpabiles. Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 1. de reform. prohibet quidquam accipere pro ejusmodi expeditionibus, etiam si sponte oblatum. In iis tamen locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, Notarii, quibus nullum salarium est constitutum, decimam duntaxat aurei partem Concilium permittit pro officio exercendo, ita tamen, ut ex Notarii commodeis nec directe nec indirecte Episcopis aliquod emolumentum proveniat. Patet igitur, non solum exactiones Dominici esse condenandas, sed & interessatam conniventiam Episcopi. Pontas.

NOTA. Decima pars aurei tempore Concilii Tridentini valore suo extrinseco ferme idem valuit, quod nunc valet dimidium aurei. Id patet ex fundationibus missarum & ex pretio mercium. In seculo decimo quinto decima pars aurei idem valuit, quod nunc valet integer aureus.

CASUS II. Cuidam Episcopo particulare provenit emolumentum a suo Secretario, ac sigilli impressione. An juste ?

R. Episcopus nec a suo Secretario nec ab impressione sigilli quidquam emolumenti licite percipere potest : Secretarius Episcopi modicum quidquam accipere potest ob laborem, quam in scribendis litteris, ac imprimendo sigillo habet. Interim tamen Episcopo non licet elocare officium Secretarii, aut ipsius salarium ; quod utique moderatum esse decet. *De Lamet.*

CASUS III. Secretarius enjusdam Episcopi plus exigit pro Visa & aliarum litterarum expeditione, quam per Concilium Tridentinum licet. Justene ?

R. Absque Simonia non potest plus exigere quam dictum Concilium permittit. Episcopus suo Secretario salarium ex propriis suis redditibus persolvere debet, si jura secretariatus non sufficiant ad sustentationem Secretarii. *Fromageau.*

CASUS IV. Si vero Secretarius Episcopi plus exigit, aut accipiat, quam Concilium Tridentinum permittet, quia talis consuetudo in tota viget diecepsi ? An ob hanc rationem securus est in conscientia ?

R. Hæc ratio illum non constituit securum in conscientia ; imo ipsi deneganda est a confessario absolutio, si admonitus talem consuetudinem sequi cogitet deinceps quoque. *Fromageau.*

## SECRETUM.

Nomine *Secreti* hic venit id, quod regulariter loquendocelari, ac occultum servari debet, quin vel ulli hominum ejusdem notitia communicetur. Obligatio fervandi secretum est juris naturalis : hinc inviolabilitatem id fervandum est, ut docet S. Thomas. Nihilominus dantur duo casus, in quibus exceptioni locus. 1. Quando quis fecit sub ratione secreti, a quopiam crimen agitari contra Principem, aut bonum publicum, aut etiam ad totalem perniciem enjusdam hominis privati. 2. Dum agitur de impedimento dirimente matrimonii, cuius quis habet notitiam per solam viam secreti. Confessio autem Sacramentalis nullam omnino admittit exceptionem ; nec ullus reperitur casus, quo unquam licet revelare secretum confessionis.

CASUS I. Geminus fecit, a Mœvio crimen aliquod secretum fuisse perpetratum, ex quo tamen nec bonum publicum, nec privati cuiusdam quidpiam patitur. Ipsius Superior vel iudex rem subodoratus, sed tamen dubius adhuc, potestne

In conscientia extra juris ordinem, omissisque consuetis formalitatibus illi praecipere secreti revelationem? & teneturne Geminus mandatis obtemperare?

**S.** Superior iste aut judex nequit sine peccato praecipere revelationem delicti; nec si id praeciperet, Geminus teneretur obedire. Ita docet S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5. Addit tamen S. Doctor, quod, si judex praeciperet in iudicio servato ordine juris, subditus teneretur obedire & manifestare veritatem; quia publicans peccatum occulum vitat magis malum, scilicet disciplinae juris enervationem.

**NOTA.** Etiam extrajudicialiter subditus tenetur pandere secretum, si crimen sit adeo tenax & habituatum aut contagiosum, ut raro habeat constantem emendationem, ac proin relinquat periculum probabile boni publici vel animarum.

**CASUS II.** Corsinianus celebs aetatis 35. annorum, opulentissimus, nulloque oneratus debito passivo, tribus jam annis turpiter aburebatur Leodegunda ancilla sua, ex eaque prolem suscepserat, quin stagitiosa vitae licentia publice innotuerit, licet multi sinistre suspicarentur. Nonnullis abhinc annis Leodegunda ab eo recessit, & satis opulentum contraxit matrimonium cum Claudio, usque nunc eorum, quae contigerant, ignaro, eique per sex annos plures penerit liberos. Corsinianus morti proximus depositus in manus parochi sui crumenam obsignatam, ac continentem 40. aureos, quorum quisque 15. florenos valebat; idque in praesentia Petri, Joannis, & Jacobi amicorum suorum, quos secreti fide obligavit, quam ii spondernut etiam: dein rogavit parochum, ut de hac pecuniae summa disponeret juxta intentionem suam in confessione declaratam. Defuncto Corsiniano heredes hanc crumenam duobus ante mortem diebus consipicati, & non ignari, multos ejusmodi aureos ibi esse repositos, undique disquirerunt; nec crumena autem, nec aureis repertis suspicioni involvebant Guillielmum, bonum defuncti aznicum, & ultimis morbi diebus ad illum saepius invisitentem, eumque de commisso pecuniae furto insimulabant; obtinuerunt etiam, & publicari fecerunt monitorium; duo quoque falsi testes deposuerunt contra Guillielmum, ita, ut hic in periculo versaretur condemnationis, ac amissionis bonorum, honoris, ac reputationis. Ex altera parte spargitur rumor inter plures loci incolas, hanc summam Leodegundae fuisse destinatam, illique a parochio traditam: cuius rei certitudo tamen haberi non potuit; quia Petrus, Joannes, & Jacobus

bus huic traditioni non interfuerunt, & parochus interea evita discellit, nulla facta hujus traditionis declaratione. Hinc quæ iur, an Petrus, Joannes, & Jacobus crumenæ de politæ testes teneantur in conscientia servare promissam Corfiniano fidem, quantumcumque etiam damnum possit accidere Guillielmo? An tenentur declarare veritatem cum periculo, ne damnum recidat in Leodegundam, de qua fortis jam est iuspicio acceptæ 40. aureorum summæ, sieque ipsa publice, & maxime apud maritum suum dissametur, ac utraque pars injuste condemnetur ad restitutionem? Aut denique num tenentur fateri rem, non obstante dispendio, quod heredibus Corsiniani, qui possent actionem instituere ad repetendam crumenam & quadraginta aureos, vel ad declarandum usum illorum a parochio factum, & ad dicendum, an sciant, depositum a parochio fuisse traditum Leodegundæ, infamiam incursum ob malam famam de præterita suæ vitæ libidine circumvolantem?

**P.** Petrus, Joannes, & Jacobus non possunt in hoc casu servare promissum Corfiniano secretum, quin Guillielmus injuste patiatur ingens detrimentum in bonis fortunæ & famæ. Hinc ipsorum silentium foret peccaminosum, & graviter delinquerent contra justitiam & charitatem, expositum relinquendo tantis innocentem calumniis, cuius famam suo plene salvare possunt testimonio, declarando, crumenam & aurum inclusum a Corsiniano in manus parochi fuisse depositum cum mandato de illo disponendi juxta intentionem in confessione indicatam. Quantum ad id, quod spectat Leodegundam, dicendum ipsis, se nihil habere addendum suæ declarationi in favorem Guillielmi factæ, nisi quod semper parochum habuerint pro viro honesto ac optimo; hinc sibi plene persuasum esse, sum suo non desuisse officio in exequenda Corsiniani voluntate. Si judex ulterius interroget illos super eo, quod innotuit ex sparso rumore, Corsinianum nimirum hos aureos apud parochum depositisse, Leodegundæ numerandos; respondendum ipsis, quod hanc pecuniam eidem numerari non viderint; quod parochus non dixerit, quem in finem pecunia expendenda, &, cum tanquam defuncti confessarius hoc depositum receperit, etiam id dicere nec debuerit, nec potuerit; rumorem autem levi negotio malitiose ac temerarie contra Leodegundam spargi potuisse: & sic hi tres testes & suæ satisfacient conscientiæ, nec ullam Leodegundæ inferent injuriam. Denique nihil sinistri timendum heredibus defuncti parochi; satisfacient enim respondendo, se nullam rei qualitate habere notitiam, atque si parochus

chus receperisset a defuncto Corsiniano depositum, se existimare, quod, cum sit res confessionis, non defuerit suæ oblationi illius intentionem exequendi; hujus autem probatum est non incumbere. *Pontas.*

**CASUS III.** Edmundus sub fide secreti cognovit, a Diodoro ignem horreo sui vicini fore injiciendum. Teneturne promulgam servare secretum? vel potestne absque peccato indicare iis, qui hoc incendium possunt impedire?

**q.** Tenetur in casu proposito revelare secretum, quod tendit ad ruinam proximi. *Pontas.*

**CASUS IV.** Gentianus juratus Gabrielis inimicus cum primo Martii exteram petere regionem statuisset, dixit sub secreto ad Paulum amicum suum, se noctu ante abitum Gabrielis fore ablaturum summam ducentorum duplionum aureorum, quod in cubiculo Gabrielis assertari novisset. Potestne Paulus monere Gabrielem de furto committendo, ac nominare furem?

**q.** Potest, imo debet Gabrielem monere de damno inferendo; sed nequit sine gravi peccato nominare furem; sufficit enim ad praecavendum furtum, scire, illud fore committendum; quin opus sit scire authorem furti, cuius famae, quādū potest, debet consulti. *Pontas.*

**CASUS V.** Paschalis Renato declaravit, sub fide secreti, a se perendie seditionem in plebe civitatis esse excitandam contra ministros & commissarios regiorum tributorum exactiōni p̄tēpōtū; cumque propositum suum executioni dedisset, carceri mancipatus fuit. Instuto contra ipsum processu plures in judicium vocati sunt, ut de veritate facti testarentur, inter quos erat etiam Renatus. Teneturne hic in conscientia manifestare judici, quod ex Renato perceperat sub promissa servandi secreti fide?

**q.** Tenetur in conscientia id declarare judicii juridice interroganti: hujusmodi enim crimen non solum damnosissimum est multis personis privatis, sed etiam Publico, & injuriosum authoritati Principis. *S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Pontas.*

**CASUS VI.** Mutius offert se ad manifestandum Cæsario secretum summi momenti, ea tamen conditione, ut illud servet, ac si in confessione cognovisset. Cæsario fidem suam promitteret declarat secretum Mutius. Teneturne Cæsarius, eadem fidelitate illud servare, ac si per solam confessionem illud compriisset?

**q. Non**

**q.** Non de facili recipiendum est aliquod secretum sub hac conditione. Cæsarius tamen tenetur illud servare eadem fidelitate, exceptis easibus supra memoratis, in quibus hujusmodi secretum revelari potest. *S. Thomas in 4. dist. 21. q. 3: art. 2. quæst. 2. ad 2. Pontas.*

**CASUS VII.** Vincentius Canonicus ejusdam ecclesiae cathedralis præsens in Capitulo, ubi agebatur de electione Decani, atque videns, nonnullos Canonicorum cum magno contemptu loqui de aliquo ad hanc dignitatem proposito, huic, utpote amico suo, totam rei seriem declaravit. Violavitne secretum capitulare?

**q.** Hæc revelatio Vincentium perjurii reum constituit: quilibet enim Canonicus præstat juramentum servandi secretum de omnibus in Capitulo pertractatis, ubi plena cilibet libertas loquendi sub bona fide servandi secreti. *Pontas.*

**CASUS VIII.** Basilius magni momenti secretum commisit Melchiori ordinis ejusdam reformati Religioso, cui Superior regularis secreti revelationem præcepit. Peccatne Melchior non obediendo?

**q.** S. Thomas quodlib. 1. art. 15. C. resolvit hanc questionem duplex distinguendo secretum: primum est, quod vergit in præjudicium proximi, & absque peccato celari non potest: alterum, quod celari potest sine peccato; & quantum ad hoc, cum Religiosus in rigore loquendo non teneatur obedire Superiori suo nisi in iis, quæ directe aut saltem indirecte regulam sui ordinis concernunt, tale secretum Religiosus nullo modo Superiori præcipienti manifestare debet: violaret enim absque ulla ratione fidelitatem, quam se servatum promiserat. *Pontas.*

**CASUS IX.** Hieronymus ejusdam Seminarii janitor, qui omnes litteras ad degentes ibi alumnos datas recipit, nonnullas ex mera curiositate infringit, & perfectas tam accurate denuo obsignat, ut nullum fracti sigilli vestigium deprehendi possit. Peccatne contra fidem secreti?

**q.** Litteræ eum in finem muniuntur sigillo, ut illarum tenor occultetur aliis. Hinc Gloria in Decretalem quamdam Innocentii III. eos, qui litteras infringunt, pœnæ falsarium subiicit; & juxta D. Thomam 2. 2. q. 59. art. 4. C. Facere injustum in genere suo est peccatum mortale. Cum Itaque Hieronymus committat injustitiam non solum adversus scribentes, sed etiam adversus illum, ad quem scribitur, peccat mortaliter. Nihilominus hæc responsio locum non habet intuitu Superiorum in pluribus communicatibus, ubi consuetudo viget, ut Superior

**C. 5**

## SEPULTURA.

rior aperiat litteras ad suos subditos scriptas. Imo etiam homo privatus potest quandoque alterius aperire litteras, ex consensu nimirum expresso aut juste præsumpto ejus, qui scribit, aut illius, ad quem scribitur. *Pontas*

CASUS X. Petro creditum est aliquod secretum, quod vergit in præjudicium salutis, reputationis aut bonorum Antonii. Tenetur illud servare?

*R. Non tenetur. De Lamet.*

CASUS XI. Adolescens quidam in Seminario ab alio una & altera vice fuit sollicitatus ad turpia, qui tamen tentationi semper restitit. Paulo post sollicitans adolescenti illi indicaverat, se perversionis suæ poenitentia ductum esse, eumque rogat, ne quid Superiori palam faceret. Hic nihilominus rem narrat suo confessario, a quo fuit obligatus, ut seductorem deferat ad Superiorem; ad quod tamen adduci non potuit. Tenetur in conscientia seductorem indicare Superiori?

*R. Videtur, eum teneri; quia fraterna correctio censeri non debet in his circumstantiis sufficiens, ratione sequelarum, quæ oriri possent intuitu sollicitantis ad malum. Nihilominus, antequam res deferatur ad Superiorem, monendum foret sollicitans, ut a communitate recedat. Fromageau.*

Vide *Correcțio fraterna. Impedimenta matrimonii in genere. Cas. 8. & Monitorium. Sigillum Sacramentale.*

## SEPULTURA.

I. *Sepultura* quatuor diversas habet significaciones. 1. Indicat locum sepulturæ. 2. Significat tumulum, seu monumentum super sepultum erectum. 3. Jus sepulturæ in certa quadam ecclesia denotat. 4. Significat officium seu ministerium, quod fidibus exhibetur eorum corpora in sepulchrum inferendo. Sepultura omni tempore etiam apud paganos magni habita est; antiqui Patriarchæ, eximique Sancti corporibus suis ipsimet sollicitate de sepultura prospicerunt, ea que privari semper summi opprobrii instat fuit habitum: & hinc Ecclesia sepulturam denegat iis, qui excommunicati, aut nominatim interdicti obierunt, & loca sacra, in quibus talis inhumatus fuerit, consecratione sua excidant, ac profana reputentur & polluta.

2. Pa-

## SEPULTURA.

411

2. Parochi possunt absque simonie labe quidquam exigere pro sepeliendis corporibus defunctorum in subfidium suæ sustentationis: sordidae tamen exactiones semper fuerunt prohibite, ut sapientes simoniam. Quisquis testamentum conficer potest, potest etiam eligere locum sepulturæ, & si in testamento de hoc nūl ordinavit, debet sepeliri in parochia loci, ubi mortuus est. Juxta antiquos Canones nemo sepeliendus est in ecclesia, sed solum in portico ecclesiae, in propylæo, vel in coemeterio: verum hæc prohibitio non fuit generaliter observata.

CASUS I. Landericus jam per aliquot annos ob suas blasphemias, concubinatum, & consuetudinem se inebrandi publice notus subitanea oblit morte in actuali ebrietate absque ullo poenitentiae signo edito. Potestne parochus Landericum sepelire more aliorum Christianorum pie defunctorum?

*R. Propria ac privata autoritate non potest Landerico denegari sepultura ecclesiastica, sed debet propterea consili a parocho Episcopus, & ipsius observari mandatum. Si vero responsum Episcopi tam mature obtineri non possit, inhumandum est defuncti cadaver adhibitis consuetis ceremoniis. In Gallia nullus pro publico peccatore habetur nisi talis declaratus fuerit per sententiam in eum latam. Pontas.*

CASUS II. Turibium in quodam viculo ad parochiam S. Galli spectante, & ab ecclesia parochiali integro miliari distante mortuum vicarius parochi inhumavit in loco auctoritate Episcopi non benedicto, in quo tamen jam plures alii dicti viculi incolæ sepulti fuerunt ob nimiam distantiam ab ecclesia, & viam, præfertim tempore hyemis, propemodum inexplicabilem. An id absque peccato fieri potuit?

*R. Quamvis per leges Romanas locus evaserit sacer per ipsam sepulturam hominis; id tamen non obtinet de jure canonico, nec reputatur locus sacer, nisi sit benedictus & auctoritate Episcopi destinatus ad Christianam sepulturam. Locus, si pontificali auctoritate est sepultura destinatus, religiosus est, inquit Sylvestre v. Sepultura. etiam si nullus sit ibi sepultus... Si vero non est sic deputatus, secundum Canones non est religiosus, etiam si ibi aliquis sepultus. Unde facile eritur, & vicarium graviter peccasse & parochium sepelitionem fidellum permittentem in loco non benedicto contra prohibitionem ac universalem consuetudinem Ecclesiae. Pontas.*

NOTA. Procuranda proin est benedictio coemeterii, quam Episcopus, si personaliter sine magnis sumptibus accedere non possit, tenetur pro ecclesiis pauperibus simplici sacerdoti committere.

CA-

CASUS III. Petronius parochus jus, quod habet sepeliendi corpora defunctorum suorum parochianorum in cemetorio vicinæ parochiæ, vendidit ejusdem parocho pro 60. floribus cum consensu curatorum ecclesiæ. An ista venditio licita est?

R. Cum jus Petronii sit pure spirituale ac ecclesiasticum, vendendo hoc jus valde graviter peccavit; utpote vendendo quidquam ad ecclesiam & non ad ipsum pertinens. Neque parochus ille licite potuit dictum jus emere. Pontas.

CASUS IV. Simerius Religiosus bis ex monasterio suo susfugit, dissimilatorumque contra Ordinem libellum scriptit. Comprehensus autem justis apostatarum poenis subjectus est. Nunquam tamen adduci potuit, ut retractaret, ac pœnitens malitiam suam agnosceret, ita ut paschali etiam tempore SS. Sacramentis privari mallet. Estne sic constituto in periculosa ægritudine concedenda extrema unctio, & post mortem ecclesiastica sepultura?

R. Disto Religioso non solum Sacraenta deneganda sunt, sed etiam post obitum sepultura ecclesiastica. Froumagan.

CASUS V. Colonella obstetrix infantem ex utero materno pedem emittemen baptizavit in hoc pede sub condicione; quia dubitabat, an viveret infans, qui demum in lucem editus nullum prorsus vitæ signum dedit. Desertur absente parochio ad capellanum pro sepultura; hic autem recusat eum sepelire in loco sacro. Num bene?

R. Infans iste sepeliendus est in loco sacro: in dubio enim de valore baptismi præsumptio stat in favorem infantis. C. B.

CASUS VI. Cotinus presbyter brevi ante mortem petiit, ut sepeliatur indutus habitu confraternitatis, cuius membrum erat. An prudenter?

R. Voluntas Cotini nequaquam est adimplenda: Rituale enim Romanum exprefie jubet, ut presbyteri ac clerici sepellantur in habitu eorum Ordini convenienti. C. B.

CASUS VII. Chrysanthus homo opulentissimus simul ac humilissimus ante mortem iusterat, ut corpus suum absque omni funebri pompa ad tumulum deferatur. Parochus autem ultimæ huic dispositioni sepe opposuit. Num juste?

R. Si per pompam funebrem intelligatur funebris conductor ad sepulchrum in depositione Nobilium aut aliarum subtilioris conditionis personarum non nunquam fieri solitus

cum

cum multis impensis animæ defundi nil profuturis, male se opponit parochus; & laudanda est Chrysantri dispositio. Si vero pompe funebris nomine veniant pii ac religiosi ritus ad exemplum Apostolorum ac sanctorum Patrum ab Ecclesia in sepeliendis fidelium defunctorum corporibus instituti, parochus iuste se opponit: Rituale enim Romanum Tit. De exequiis. præscribit, ut parochi sacras ceremonias ac ritus, quibus Ecclesia in exequiis defunctorum uti solet, exacte observent. C. B.

## SERVITUS.

1. Hæc vox Servitus in triplici sensu accipitur. 1. Sumitur pro servitio famuli, quod præstare tenetur domino suo, 2. Pro mancipatu seu subjectione necessaria ac coacta. 3. Pro onere annexo alicui fundo, prædio &c. in favorem cuiusdam, qui non habet fundi aut prædiū dominium, ut est jus itineris, luminis, aquæductus, aquam hauriendi ex puto vicino. Et de hoc genere servitutis hic agitur.

2. Est autem hæc servitus vel *activa* vel *passiva*. Prior est *jus*, quo res immediate habet aliam rem sibi obnoxiam. Jurisconsulti alias duas servitutis istius species distinguunt, urbanam scilicet & rusticam. Juxta Polmanum servitus urbana est *jus*, quo prædium urbanum habet aliud sibi obnoxium: tale *jus* est v. g. quod habet proprietarius domus deducendi aquas ex suo tecto in fundum vicini sui, vel trabem aut ligna domus ædificandæ stabilendi supra murum domus contiguae &c. Servitus rusticæ est *jus*, quo prædium rusticum habet aliud obnoxium.

3. Jus servitutis, cum sit odiosum, semper fundari debet in aliquo titulo.

CASUS I. Dionysius Toparcha habet jus agendi currum per fundum Petri; sed cum viæ vix non penitus essent destructæ, Petrum ad reparationem earum compellere nititur, qui tamen id perficere recusat. Quisnam horum tenetur reparare viam?

R. Si Petrus non ipso servitutis titulo viam reparare tenetur, reparatio incumbit Dionysio, nisi jam sit in possessione juris obligandi Petrum ad reparationem. In omnibus servitutibus, habetur leg. *Et si forte. 6. §. 2. ff. L. 8. T. 5. refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem adserit; non ad eum, cuius res servit.* Pontas.